

Franz Wolf

**Rector Universitatis Rostochiensis Franciscus Wolfius, Theol. D. ... Ad  
Cohonestandum Funus Reverendae Et Castissimae Virginis Annae Blütingiae,  
Partheniis Crucis Coenobii Prioris Meritissimae ... Cives Academicos  
Studiosissime Invitat : [P.P. sub sigillo Rectoratus ... M.DC.LXXXI. d. XXVIII.  
Octobr.]**

Rostochi[i]: Keilenburgius, [1681]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584605X>

Druck Freier  Zugang




Wolf, F.,  
in  
A. Blüting.

R. 1681.







40.

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
FRANCISCUS WOLFIUS,

THEOL. D. & P. P. ad D.  
MARIÆ PASTOR.

AD COHONESTANDUM FUNUS  
REVERENDÆ ET CASTISSIMÆ  
VIRGINIS

ANNÆ BLÜ-  
TINGIÆ,



MARTHENIIS. CRUCIS CŒNOBII  
PRIORIS MERITISSIMÆ,

OMNES OMNIUM ORDINUM CIVES  
ACADEMICOS STUDIOSSIMOS  
INVITAT.



R O S T O C H I,  
TYPIS VIDUÆ B. FRIDERICI KEILENBERGII,  
UNIVERSIT. TYPOGR.



Vantæ quondam  
dignationis, quanti cultus  
prærogativâ accumulâtè  
fullerint *Vestales Virgi-*  
*nes*, & quanti eas prisca  
fecerit ætas, id quidem  
abundè veterum recen-  
sent monumenta. *Nu-*  
*mam* illas advocasse Ro-  
mam, virginitateque ac aliis sanctas fecisse  
cerimoniis, quin ne sacra intermitterent si-  
bi commissa, stipendium de publico iis sta-  
tuisse, memorant annales. Admitteban-  
tur verò ex præcipuè, quibus summa inte-  
gritas, pudor, & virtus forent, repudiatis  
utique istis, quæ aliquo oris aut sensus vitio  
laborarent. Quibus adeò ad sacerdotium,  
admissis assidua insidens cura inerat, ignis sa-  
cri & æterni, qui in fictilibus servabatur va-  
sculis, quasi celestis arcani custodiam, & cu-  
ram fidelem per vices agere, ignemq; ser-  
vare. Tantæque existimationis & pudor-  
is habitæ sunt, ut his præsentibus, tanquam  
arbitris numinibus, non factis modo, sed &  
verbis obscenis ac prætextatis abstinerent,  
easque

casque, velut augusta & sancta templa, atque  
unicum mundæ castitatis exemplar, religiosè  
observarent. Et tantus quidem, ob sancti-  
tatem continuamque virginitatem, ipsis honos  
est habitus, ceu quæ sacrosanctæ ab omni vi-  
rorum contagio intactæ forent. Tum si  
qua dissidia & similitates, vel aliquæ exorta  
offensiones fuissent, aut seditio intestina,  
coorta inter cives, ut Vestalibus interceden-  
tibus & deprecatricibus, ac quasi internunciis,  
pacis fœdera inirentur, illarum curæ deman-  
dabatur; hisque mediis & procurantibus,  
offensarum culparumque venia impetrabatur.  
Imò quæ secretioris erant consilii, quæve quis  
celari, & in abdito esse, suoque in lucem pro-  
mi tempore volebat, apud illas, ut in fideli  
essent custodiâ, deponerentur. Triginta  
iis annorum castitatem, in sacerdotium ad-  
scitis, præscriptam observet: primo namque  
decennio, quæ ad cultum & arcanos sacrorum  
ritus spectarent, vel quæ vetustissimis carmi-  
nibus & monumentis prodita erant, edisce-  
bant; secundo verò, quæ didicerant, opere  
complevere & efficere: tertio autem decennio  
sacra & instituta, quæ didicissent, alias edoce-  
re oportebat. Tunc demum exacto triginta  
(2) anno



annorum circulo, velut emeritis stipendiis, liberum erat vel sacerdotio solvi, & aliam nancisci vitam: aut sacrorum curam gerere, & eodem cultu ornatuq; esse non vetabantur, Tantâ quoque polluerunt autoritate, ut si extra atrium constituti sibimet delubri prodire vellent, nisi præcedentibus fascibus ob honorem sacerdotii foras exire non liceret. Non absimilis longè religiosarum penes nos ratio est Virginum, quæ licet non Vestæ litent, non diligentes æterni sint ignis custodes, nec tantâ quidem dignitatum & venerationis gaudeant eminentiâ, quantâ prisca, quarum ante meminimus, Vestales; sapienti tamen nihilominus consilio, dextroq; omine, sanctiori cuidam se sacravere contubernio, in quo castæ, imò purissimæ menti Deo, casto virgineoq; uti corpore, sic corde, sic animo serviant puro ac illibato; cum nihil sit, monente alicubi Hieronymo, carnem habere virginem, si mente quædam nupserit. Talium Deo sacratarum, & quod S. crucis dicitur cœnobium inhabitantium Prior erat, nunc beatissimè mortalium, surrepta cætui, Reverenda & Religiosa Virgo ANNA Blüttings / quæ licet ultra sœterum, ceteroq; commorandi terminum, cellis innu-  
crita

trita Virginalibus, jam ante unum alterumve penè lustrum, eodem frui potuisset, quod Vestalium solenne erat dimissionis honestæ privilegium, post ter denos annos, haut ultra sacrorum operationi adstrictarum: noluit tamen diviniore semet prius abdicare curâ pietissimæ Virgo, quàm ex hoc Virginitatis signatæ claustrum in augustissimum transferretur tripudiantium in-  
**AGNI** nuptiis Virginum parthenonem. Prodiit illa in caducam mortalium rerum scenam, parentibus profata honestissimis & laudabilibus, Schlesvigæ Holfatorum, anno decrepiti penè hujusce seculi sexto supra-  
 decimum, Patre quidem Viro Amplissimo & Eximio **DNO. JOACHIMO BLÜTTINGIO** Advocato Aulici, quod Gottorpiæ est, judicii clarissimo: matre verò; insigni morum verecundiâ & probitate, matronâ **A N N A Hardisch**. Avus ipsi obitigit Paternus, Vir Plurimum Reverendus & Clarissimus, **DN. JOACHIMUS BLÜTTINGIUS**, Ecclesiastes quondam cathedralis, quod Kiloni est, templi vigilantissimus. Paterna autem Avia, pietate & virtutibus commendatissima **CATHARINA Marquards**. Avo gavisa est materno, Viro Eximio & præstantissimo **DN. SAXEWIGG Hardisch** Borsholmensis in Ducali Holfatiâ præfecturæ Notario. Aviam maternâ, venerabili morum & probitatis exemplo **ANNA Rüdich**. Sanctificantibus lota aquis, cum ad ter novem ferè adolevisset annos, Virginali, quod hic Rostochi cernitur, & S. appellatur Crucis, semneo initiata est, Anno a nato Servatore millesimo, sexcentesimo, quadragesimo secundo

do, sub initium mensis Octobris, ubi id gnaviter egisse visa fuit, quod DEO & sacris dicatam, pudicamque addeceret monialem. Anno abhinc seculi hujus sexagesimo primo, sub ipsum johanneæ festivitatis exordium, conspirantibus omninò eligentium votis constituta Archimandritis, ceptam ante laudabiliter honestatis virtuosæque probitatis telam assiduissimè per texere annisa est, uti nec querelarum quicquam de districtâ morum Virgineorum ratione, aut severiori in ceteras ephoratu, unquam audiretur. Ceterum, dum fuit, in *vorád* & caussario planè fuit corpore, utpote quam internecinum lenti ac difficilis cujusdam morbi genus, ceu hedera quædam serpens, implicaret, & longo enecaret tractu, sic ut exiguâ sæpius in spe languidulum magis traheret, quàm duceret, spiritum, imbecillis utique, & virium non adeò grandium, imò non unâ sanitatis labe & corruptelâ langvescens. Enimverò ea ipsa invalentia elapso noviter Augusti mense in tantum succrevit, ut inde vehementissimè intumuerit, gravissimè aliquoties cum lipothymia & dyspnœâ colluctabunda. Cumque tali calamitoso infirmi corporis malo affecta, à publico arceretur sacrorum usu, clinicam ferè constanter agens, sanctissimâ Eucharisticæ memoriæ communionem domi refecta fuit, Domin. XV. p. Trin. Ingravescens verò languidi corporis, & prostratarum penè virium ratio, non obscura præbebat indicia, vix eam integrè restitutum iri valetudini, quin magis magisque decretorium vitæ diem imminere; unde toto religiosæ mentis nisu, totâ ardentissimi affectus prothymia

in

in pia Servatoris unicè amati desideria ferebatur, cum illo cupiens existere, & exolvi laborioso arumnabilis vitæ ergastulo; utque eò arctiori præin ipso cum jungeretur nexu, ac sanctiori copulâ, percipiit semel adhuc divinissimâ refocillari Cœnâ, & vividissimo corporis ac sanguinis Domini ad æternam pasci vitam epulo, quò salutifero hoc sumto viatico lubentior imò instructior ad instantissimam foret emigrationem. Facta est voti piissimi compos Religiosissima Virgo, vigesimâ quartâ luce labentis mensis, quâ Vir plurimum Reverendus, & Clarissimus DN. MICHAEL WAGNER US, Ecclesiastes ad Div. Jacob. & S. Crucis meritissimus, acceptâ prius intentissimæ pietatis confessione, sacramentum Eucharisticum ipsi, in spectabili Virginum Prioris suæ æstimatissimæ casum impendiò lugentium coronâ, subministravit. Non multò post, cunctis sese representantibus mortis indubiæ documentis, in continuâ rerum divinarum & celestium meditatione, reliquum, pusillum licet, vitæ in occasum vergentis tempus exegit, egregiissimos, hymnos, & ardentissimarum precum selectiora suspiria sibi præcini, perorariqve exoptans, Sospitorem, cui viva adhererat uni, intimiùs spirans & suspirans, cumque eorum esse desiderans, spe certissimâ freta, se jamjam sacro celitum collegio, hymnidicos inter Angelorum choros, & Virginum Agni canticum modulantium, sanctissimos hymenzos, immixtum iri, animam hauri diu in agone mortis agitatam, DEO conditori suo, pio beatoque vitæ exitu, reddidit, citra omnem oris aut corporis distortionem & deformitatem, inter luctuosas

fas adstantium Convēntualium vocēs, & fervētiffi-  
mas ad Numen preces, placidum è vitā excessum for-  
tita, die vigesimo quinto Octobris, exactis in hac fra-  
gili mortalis corpuseuli casulā sexaginta & quinque  
annis.

Triumfat jam celo beatissimè recepta castior Re-  
verendæ Virginis mens, presentius juncta celestis sponsi  
thalamo, ab eo immarcessibili æternitatis adoræ, &  
splendido semper vivæ ac incolumis Virginitatis ser-  
to magnificentissimè adornanda. Sit benè pudici-  
cis ipsius fragminibus, revirescantqve ea vividius o-  
lim in novissimo imminentis mortuorum & vivorum  
judicis adventu!

Quandoquidem verò hodiè honorabile hoc funus  
Virgineum indictivis deducendum est exequiis, uti  
Vos, Honoratissimi omnium ordinum CIVES ACA-  
DEMICI, frequentes compareatis, & prolixiori or-  
dine id ipsum ad tumbam comitari suam haut grave-  
mini, impensè abs Vobis contendimus.


P. P. *sub sigillo* R E C T O R A T U S


A. R. M. M. DC. LXX XI.

d. XXVIII, Octobr.

Conventus fiet in Æde Jacobæ,  
horâ Imâ pom.













in pia Servatoris unicè amati desideria te  
illo cupiens existere, & exolvi laborio  
lis vitæ ergastulo; ut que eò arctiori proin  
geretur nexu, ac sanctiori copulâ, perc  
huc divinissimâ refocillari Cœnâ, & vivid  
ris ac sanguinis Domini ad aternam pa  
lo, quò salutifero hoc sumto viatico l  
instructor ad instantissimam foret emig  
ta est voti piissimi compos Religiosissim  
simâ quartâ luce labentis mensis, q  
mum Reverendus, & Clarissimus DN  
WAGNERUS, Ecclesiastes ad Div. Jac  
meritissimus, acceptâ prius intentissima  
fessione, sacramentum Eucharisticum ips  
Virginum Prioris suæ astimatissimæ ca  
ludentium coronâ, subministravit. N  
cunctis sese representantibus mortis i  
mentis, in continuâ rerum divinarum  
meditatione, reliquum, pusillum licet,  
sum vergentis tempus exegit, egregiiss  
& ardentissimarum precum selectiora si  
cini, perorariqve exoptans, Sospitatores  
hæserat uni, intimiùs spirans & suspirat  
coram esse desiderans, spe certissimâ  
sacro celitum collegio, hymnidicos in  
choros, & Virginum Agni canticum  
sanctissimos hymenzos, immixtum iri  
diu in agone mortis agitatam, DEO cor  
beatoque vitæ exitu, reddidit, citra or  
corporis distortionem & deformitatem

